

44-5

N. 17

DE IMMINENTI ECCLESIAE SCHISMATE AVERTENDO

AD EXCMUM. ET EMMUM. D. D. LUDOVICUM BORBONIUM
S. R. E. Cardinalem de Scala, Archiepiscopum Toletanum,
Hispaniarum Primate, Hispalensis Ecclesiæ perpetuum
Administratorem, omniumque Provinciarum Hispanarum
Regentiæ Præsidem: ad omnes Catholicæ Communionis Sa-
crosanctos Episcopos, Venerabilesque Presbiteros universam
triusque orbis Ecclesiam illustrantes:

VALENTINI DE ORTIGOSA

Presbiteri Arriatensis

EPISTOLA.



MENSIS MARTII DIE XXX. AN. 1813.

GADIBUS: IN TYPOGRAPHIA TORMENTARIA,
apud Joannem Dominicum de Villegas.



Attendite vobis & universo gregi , in quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei , quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi , & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa , ut abducant discipulos post se.

ACTUS APOST. CAP. XX. VERS. 28. 29. 30.



EXMO. ET EMMO.

D. D. SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE

CARDINALI LUDOVICO DE BORBON,

ARCHIEPISCOPO TOLETANO, ET HISPANIARUM PRIMATI,

universisque Communionis Catholicæ Episcopis per totum mundum dispersis, ac dignissimis Con-Presbiteris meis.


Cum fere per sex annos Ecclesia Dei Sancta mœrens, Apostolico incarcerato Pastore, incessanter clamando, Omnipotentem rerum Dominum lacrymosa rogaret, corporis lacrationem sublato capite timuit, pacis, unitatis, atque Communionis Catholicæ nexum solvendum perhorruit. Ingemuit totus orbis, & immanissimam impiissimi Galliarum Imperatoris sævitiam Sanctissimum erga Romæ Pontificem miratus est. Abhinc retro sæculis nemo hominum vidit tam diuturnam contentionem humilem inter & superbum, mansuetum & iracundum, inermem & magnis phalangibus armatum, reverentia dignissimum Senem & hominem procacem, legitimum Petri Successorem inter & Sancti Ludovici throni usurpatorem. Vicit armis Imperator; vincendo tamen victus à Sene fuit. Fortis illa, atque imperturbabilis animi constantia suggestionibus, insidiis, & minis nunquam acquiescens, universo mundo veluti maximum Religionis Catholicæ triumphum apparuit. Ad vincula damnatus, & in vinculis hodie usque detentus augustissimus Petri Successor ætate nostra inauditum, solius Neronis aut Domitianī tempore dignum, plusquam mirabile dedit spectaculum. Orbis terrarum populi & nationes, cujuscumque etiam Sectæ & Religionis homines illud fortitudinis exemplar quasi stupefacti mirantes, „conticuere omnes, intentique ora tenebant.” Hodie adhuc fixis oculis tantorum finem desiderant: fortasse etiam dato tempore, faxit Deus, pace Ecclesiæ restituta horum imperterritæ fidei signorum intuitu, liberalioribus,

quām usque nunc vigentibus principiis , per obscurorum fatā temporum nimia fide creditis innixi , amplissimum Protestantibus Ecclesiis aditum aperiemus , ac mutuo , & cordiali ample-xu Græca , atque Latina Ecclesia unum ovile in uno Pastore sub una fide fiet.

Sed ut ad Ecclesiam Dei Sanctam deveniamus ; ⁊ quis vestrum , dignissimi Catholice Communionis Episcopi , & Sacerdotes , Pii Septimi Patris nostri captivitatem tam diuturnō , atque incerto tempore prospiciens multiformis proditoris artes non verebitur , ut adinstar ferocioris , callidi , ac venenosi colubri vel mortem infligere rabie , qua pollet accensus , valeat ; vel tot tantisque laboribus , & ærumnis ille tabescens , longæva ætate confractus , atque diro dolore affectus in vinculis animam Dœo reddat , desolatos relinquens orphanos , à lupis rapacibus invadentibus gregem absque Pastore vorandos ? ⁊ An supini spectatores erimus intuentes famelicum , rabidumque canem etiam proprium temere laniantem Pastorem ? Illa tunc Civitas Dei Jerusalem , quæ in terris est , quasi in convalle fletus posita , delitescens ; grex ille Sanctus Christi pretioso Sanguine redemptus quo Rectore gubernabitur , quo Pastore passetur ? ⁊ An hisce etiam amarissimis temporibus præter tot , tantaque mala gentis nostræ , Hispanæ præsertim , visionem videbimus Zachariæ „pastorem stultum , qui derelicta non visitabit , dispersum non quæreret , & cóntritum non sanabit?“ ⁊ Nonne surget inter nos pseudo-Christus , vel pseudo-Propheta signa magna , & prodigia faciens , ita ut in errorem inducantur , si fieri potest , etiam electi ? ⁊ An non ille solummodo Galliarum , sed & aliorum Europæ regnorum Usurpator , & prædo , ut suo Monarchiæ universalis somnio blandiatur , Petri Primatum , & Sedem non ambiet vel sibi (in effronti homine nil mirum) vel suo Cardinali de Fesch Consanguineo , vel sacrilego suo Confessario , potius adulatori , Cardinali de Mauri , sive apostatæ Episcopo Talleyrand , vel demum amissimo cuilibet ruinis Vaticani triumphum ædificare volenti ? Horrendum sane Schisma vereor , & animus meminisse horret.

¶ Sed quis vestrum , gregis Dominici Pastores , & nostrum in hac tribulatione refugium , anteacta tempora recolendo , versutissimi hominis gressus omnes usque ad minimum scrutando sive in bello , sive in pace , vel dum regna fraudulenter invadendo rapiebat , aut provincias subdole militum legionibus occupatas , inermi , & invito domino , cuilibet sui exercitus Duci tradebat , vel quando dulcioribus melle verbis deceptos , sopitos Europæ Principes captivos ducebatur ; quis vestrum , inquam , dum tot , tantaque callide , ac dolose ab iniquo homine meminit peracta , timore perterritus non expavescit ? Ubi-



nam sunt Principes, Reges, Præsides, & Rerumpublicarum
 Senatores Europæ? ; ubinam tot, tantique Duces, Comites,
 & Principes Hollandiæ, Helveciæ, Westphaliæ, & Confede-
 rationis? ; ubinam Princeps Enghien? ; ubinam augustissi-
 ma Sancti Ludovici Stirps Ludovicus XVIII cum omnibus suis
 fratribus, consobrinis, & consanguineis? ; ubinam Portu-
 galliæ Princeps, Neapolitanusque Rex Ferdinandus? ; ubi-
 nam Carolus IV? ; quò Ferdinandus VII hujus nostri sem-
 per memorandi populi Hispani Pater, & infortunatus ab in-
 fantia Rex, aut quò tandem venerandus Petri Successor Pius
 Septimus, omnium nostrum Pastor, totiusque Ecclesiæ Rec-
 tor pervenere? interrogate diligenter; & alios quidem victi-
 mas jam neffandi hominis gladio, aut veneno in tenebris per-
 cussas lugetis, alios autem in ergastulis, & carceribus de-
 trusos, alios denique in longinquas regiones virgam sævien-
 tis furoris fugientes non absque amaritudine videtis: ; quis
 vestrum, iterum dicam, ò Episcopi Ecclesiæ Sanctæ Dei, quis
 vestrum talia non meminisse horret, & timore pavescit? Ad-
 huc autem interrogate, ; an Magni Friderici Filius ipsomet
 Patris sui splendore circumdatus hodie coram Regibus appa-
 ret? ; quam sortem sortitus est in tanta Regnorum eversio-
 ne ille veterum Romanorum Imperii Successor Franciscus? ; quis
 toties decepit Magni Czar perillustrem Filium, inclytum Ale-
 xandrum amicum nostrum? ; quis decipere multoties tentavit,
 quamvis absque fructu, magnificum illum benefactorem nos-
 trum, Anglicum Populum, & æterna gratitudine nostra dignis-
 simum istius populi Regem, & nunc vices suas gerentem Prin-
 cipem? ; quis ad universas Septentrionis, & Meridiei Americæ,
 & Asiae provincias speculatores turbulentos mittere ausus est?
 ; quis denique sub pedibus Regis de Wirttemberg in taber-
 naculo pastoris venantis, pulveris pyri acervum abscondere
 machinaverat, ut nisi admonitus subito prosiliisset, flammis
 involutus statim periret? ; quæ autem tenebris obvoluta ma-
 nus hæc omnia commovet, aggreditur & machinatur? Sciscitari
 etiam vellem, ; ubinam Petri naviculæ Gubernator existit?
 ; ubinam Pastor?... ego & illum sollicite quæsivi, adhuc autem
 non inveni. ; Ubinam sunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi-
 nales? ; alios in vinculis clausos, alios in regnis & provin-
 ciis dispersos, alios autem protervum Galliæ usurpatorem dis-
 cimus sequentes.

In tanta rerum, & temporum angustia, ; quis cuncto po-
 pulo christiano pacem, & unitatem largietur? ; quis ad tol-
 lendum Schisma sibi sufficiens esse videbitur, si ætate in-
 gravescens Pius, tot, tantisque laboribus confractus moritur;
 aut ira, & indignatione Tyrannus accensus ob fortissimam

in Domino constantiam , mortem , quam fortasse non nisi
 multo prolapso tempore palam fiet , secreto veneno infligat ?
 ¶ Quid tunc , Speculatoris domus Israel , Sponsæ charissimæ
 Christi Zelatores ? ¶ quid nobis de legitimo Pastore nutantibus ,
 qnid vobis in tam dissitis Regionibus de Petri Successore
 cunetantibus ? ¶ percuesso Pastore , dispergentur oves gregis ?
 ¶ accipiemus iterum vestimenta Christi in quatuor dividentes
 partes , unicuique militi partem , & inconsutilem sortiemur tu-
 nicanam , cuius sit ? ; numquid dicemus , ego quidem sum Pau-
 li , alias vero dicet , ego Apollo ? Mementote illius Napoleo-
 nis effati ad Pium Septimum paulo antequam in vinculis con-
 jiceretur , „Ecclesia Gallicana , inquit , plenam suæ doctrinæ
 integritatem resumet , si Vesta Beatitudo placitis Imperatoris
 resistit. (1)

Quicumque hunc subdolum , & versatilem usque ad mini-
 mum scrutaverit hominem tam citò in Hispania , & Gallia Ca-
 tholicum se dicentem , quam contemptibilia Mahumetis ossa
 in Egipto profundissime adorantem ; vel magnum Judeorum
 Synedrium Parisiis congregantem , & Moysis legem devotis-
 simè suscipientem , aut jam eorum traditiones , et futilem Mes-
 siæ spem viderit subsanantem ; vel demum Luteranis quam
 maxime auxilium præstantem , suum Consobrinum Hollandiæ
 Heredem in Luterana Secta educari vi Constitutionis impe-
 rantem , simulque coram Pio Septimo , tamquam Christi Vi-
 cario , humiliter genua respexerit flectentem , ¶ cur etiam cre-
 dere dubitabit hunc Protheum in qualibet die , si suis pla-
 citis convenire judicaverit Wicleffi vestigia secuturum ? „ post
 Urbanum Septimum , ajebat iste , non est aliquis recipiendus
 in Papam , sed vivendum est more Græcorum ;“ post Pium
 Septimum , dicet ille , non est aliquis recipiendus in Papam ,
 sed vivendo more Græcorum , exinde Gallicana gubernabitur in-
 dependenter Ecclesia.

Machinationum hujus hominis intuitu neque resistere , ne-
 que tacere valui : ideo ad vos , Episcopi Sancti , profundo tactus
 dolore cordis confugio : consolatio populi Christiani vos es-
 tis , spes nostra in tribulatione hac , quæ circumdedit nos .
 Non scripsi vobis , quasi ignorantibus veritatem , sed quasi
 scientibus eam : ignoscite mihi , si mea me turbavit afflictio;
 sed & suporttate me . Pluries Dominum rogavi , ut tantum
 à nobis averteret malum , & vos quidem fecistis ; fidem ta-

(1) Ep. Mr. de Champagni ad Emm. Cardin. de Caprara,
 Parisiis 3. April. ann. 1808.

men nostram Dominus videtur probare voluisse: constantes usque ad mortem nos invenietis, quamvis diu duraturam Patris nostri Pii Septimi captivitatem nunquam nobis exspectasse fas erat. „Verum ista spe tanto tempore lapsi, cum durare amplius nequeamus, harum literarum nostrarum hor-tamento utimur, ut vos ad opem nobis ferendam excitati, deinceps nobis, & vobis compertum sit, & exploratum, quibus-cum communionem habere debeatis. Nil prorsus novum, aut inusitatum exposcimus, sed quod olim beatis, ac Deo charis Viris, praesertim vobis, in more positum fuit:” (1) ideo vos, Piscatores hominum, præclarissimi Basilii vestigia inse-stantes satagite, ne labefactetur infirmorum fides, atqne om-nino Petri navicula, veluti dormiente Christo, mergi flucti-bus videatur: non nobis iterum nubila tempora sint Urba-ni, (2) Clementis, (3) & Benedicti, (4) quibus infando qua-dragna fere annorum Schismate Christiana Republica labo-ravit. In tantum ætate illa malorum crevit hominum perversi-tas, ut jam Universitas Parisiensis ad relatum Clementem Ave-nione sedentem scripserit „eò rem processisse per Schisma, ut plures passim, & publice non vereantur dicere, nil curan-dum, sintne duo, vel tres, aut decem, vel duodecim Pa-pæ” (5).

Ego vero quamvis insufficiens, acerbo tamen dolore dolens, huic tanto fortasse futuro malo remedia pro meis viribus ad-hibere volens, & paratos nos esse desiderans, vestra innixus bonitate, potius clamare judicavi, has meas mittendo litteras, quām tacendo, dum nemo loquitur, Ecclesiam Schismate la-borantem lugeam: non arrogantiæ hoc opus fuit, absit, sed meæ imbecillitatis, & timoris: „tolerabilius mundi mala susci-pimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.” (6) ; quis autem in tanta regnorum, & provinciarum eversione, Regum, & Principum supplantatione, senescentis, & infirmi Pii Septimi diurna incarceratione, Sedisque Romanæ Car-dinalium dispersione, quot futura mala non præscit, timet, & paratus se munit? mementote dierum antiquorum vos qui à Spiritu Sancto positi estis Episcopi ad regendam Ecclesiam Dei, prædecessoresque vestros interrogate; ; quid in his re-rum eventibus ad tuendam Ecclesiæ pacem, ut fideles non

(1) S. Basil. de Arian. pers. ad Dam. an. 371.

(2) VII. (3) VII. (4) XIII.

(5) Spicil. tom. 6. p. 96. 97. apud. Bossuet. P. 2. l. 5. c. 7.

(6) S. Greg. M. Hom 35. in Evang.

8

essent fluctuantes omni vento doctrinæ , facere consuevere?
Vos & idipsum facite.

Ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio , dum neque Concilia generalia ob sævientes persecutiones adunari poterant , neque locus inveniebatur ad finiendas , quæ ad universalis Ecclesiæ judicium pertinebant , controversias , medio Epistolarum quaquaversus circummeantium usi sunt Patres : ea ratione cunctorum colligens sententias , quisque paratus videbatur testimonio con-fratrum suflultus ad unionem strictissime servandam & unitatem Ecclesiæ adversus novatores tuendam ; „per provincias literæ commeabant , docet Sapientissimus venerandæ antiquitatis scrutator Episcopus Meldensis , & rata (a) habebantur ea , in quæ omnes Ecclesiæ consentient: (I) ex illa tanti roboris adunata Episcoporum consensione per Epistolas consignata Divina , supereminens , & valida emanabat vis , quæ neque expugnari , neque repelli poterat , & quæ in his difficilimis temporibus omnibus Ecclesiæ Pastoribus omnino necessaria est , utpote qui Concilii Generalis spem nullam habeamus . Hæc , quotiescumque de gravi Ecclesiæ negotio agebatur . erat tunc omnibus nota consuetudo : „quæ cum ubique terrarum , ait Meldensis præcitat loco , Præpositi facerent , ac per provincias Romani Pontificis responsa commearent , hinc nempe existebat ille consensus , quem talia negotia postularent.”

¶ Cur autem usque adhuc vestras consolatrices literas , Episcopi Sancti , universum percurrentes mundum non vidimus Hispano , sive Anglico , Lusitano , sive Gallo , Græco , vel idiomate Latino ? ¶ an antea adumbratus Ecclesiæ status Schismati obnoxius non omnes paratos , & consentientes exigit ? ¶ quo autem medio proprius , & facilius utendum , ut omnis linguae & nationis Episcopus suam de hoc gravi negotio sententiam profert , aliisque Co-Episcopis communicetur , ut omnes in unum consentiant , & adunentur ; ¶ quare Concilia Provincialia , robusti-



(a) Patres Concilii Provincialis Anthiocheni Epistolas ad universos Episcopos de causa Pauli Samosateni mittere decreverunt : in unum postea literis collectis , toto orbe Paulus damnatus dicitur , quasi ab Æcumenico Concilio sententia lata fuisse : ita Alexander Alexandrinus ad Alexandrum Constantinopolitanum „Paulus Samosatenus , inquit , Concilio , & iudicio omnium ubique Episcoporum ab Ecclesia ejctus est.”
Lab. tom. 12. pag. 18.

(I) Deffens. Cleri Gall. cap. 76.

tissimum illud venerandæ antiquitatis brachium ad fidem , unitatemque servandam , tantoties à Patribus commendatum , in pacificis regionibus ad remedia huic tanto futuro malo adhibenda non celebrantur , suaque Concordata omnibus Ecclesiis non circumferuntur ? ; an etiam ad hoc opus aggredendum Romani Pontificis Epistolam aut responsa spectabimus ? ; O utinam vel sibili tantum sonitus ad nostras posset pervadere aures ! sed inaniter illudimur , si vana blandiamur spe . ? Quid plus à Captivo petendum , quam lacrymis non desinat , qua vincus pro Christo est , rigare catenam ? (licet mihi , Venerande Pastor , hoc tibi breve consecrare apostrophen .) ; Quid plus , O Petri Succesor , dignissimusque Pauli imitator , quid plus à te requirendum nobis erit , qui , quamvis viribus pæne exhaustus præ dolore , ac gemitu tui lacerandi ovilis intuitu nondum defecisti ? ; quo majore unquam triumpho vinces , quām cùn sex annorum stragibus vinci non potuisti ? ; O Magnanimitas , munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnable , hominis supra hominem elevans cor !

Ad vos autem , Episcopi Sancti , meam conversurus orationem , ; quomodo absque solatio , inquam , in vinculis derelinquemus Patrem nostrum Pium , plus de prænuntiato à seipso (1) Ecclesiæ Christi Schismate dolentem , quām de catena , in qua gloriatur ut Paulus ? ; quid aliud exquireret à vobis , si forte ad vos posset suus pervadere sermo , nisi ut parati essetis , & coadunati , & consentientes ad hoc tantum Ecclesiæ malum præveniendum ?

Dum navem Petri fluctibus quassatam de proximo imminentique naufragio incolumem servare aggredimur , neque inanes & ad rem fuitiles academicas disputationes accendere , neque more Pharisaico invicem insidiari , ut alter alterutrum capiat in sermone , posteaque non sine gravi fidelium scandalo conviciis afficiat , neque etiam ad placitum juratorum uniuscujusque Cismontanæ vel Ultramontanæ Scholæ principiorum magni momenti negotium nobis pertractare licebit . Venerabilium priorum PP. periculosa tempora consulere , eorumque sanguine signata vestigia insectari , aut etiamsi oportuerit , magnanimititer imitari tenemur : loricam fidei fortiter induentes illi neque mortem pertimescebant , neque vitam amabant : tribulationem , atque angustiam superababant , famem , & nuditatem contemnebant , pericula , & persecutio[n]es forti

(1) Ep. Cardinalis de Gabrielli ad Mr. Lefevre dat. 27. Mart. an. 1808. & altera ejusd. ad eumd. dat. 19. April. ejusdem anni.

animo ferebant, quaquaversus firmo pede ambulabant, & tanquam strenui nautæ in procellis, si naufragari videbantur, navem Petri super humeros arripiebant, & sperantes in Domino salvi facti sunt. Si ob in laboribus constantiam plures patres nostri diro gladio percussi sunt, Magistrum imitati suut, memoria retincentes, „quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis,” & arborem sanguine plantatam, cum tabescit, humilier, & patienter sanguine rigari debere. Habet enim suos Christi militia milites, moriendo tamen semper vincentes. „Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur” (1): „plures efficiemur, quoties metimur à vobis. Semen est Sanguinis Christianorum.” (2).

Nullis in rerum angustiis tantotius vires uostras constringere arctius debemus, ut uniti fortiores, & inexpugnabiles simus, quam dum plures Pontificatum ambiunt, aut Sedem Petri, velut avaritiæ instrumentum capere intendunt, vel Schismatis periculum, ut impresentiarum, timetur. „Copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex nostro Collegio hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subveniant cæteri: nam etsi Pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo, & passione quæsivit, colligere, & fovere debemus.” (3) Quomodo autem si regnum turbata facie, vel instante persecutione cogi nequit Concilium generale, nisi per Synodos Provinciales aut per Encyclicas (b) Epistolas subvenire Eccle-



(1) S. Aug. de Civ. Dei lib. 22. cap. 6.

(2) Tert. Apol. pag. 81.

(3) S. Cypr. Epist. 68.

(b) Ad Epistolam Leonis Imperatoris de Thimothei Eluri pseudo-Episcopi Schismate præveniendo interrogantis, plurimorum Episcoporum responsa in compactum volumen ab Epiphanio in latinum de Græco sermone conversum collecta extant, unde Encyclicarum seu Circularium nomen assumptum est Horum Episcoporum unanimi consensione, „Synodus Calcedonensem usque ad sanguinem vindicandam” firmantium, „ac Thimotheum non solum inter Episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari” clamantium, suffultus Imperator Elurum relegans imminentia Schisma profligavit. Lib. Brev. vid. & Aur. Cassiod. BB. PP. t. I. p. 1227.

siae poterimus? ; quæ altera media venerandæ Patrum antiquitati cognita fuere?

Provincialium Synodorum celebrationem multis temporibus oblivioni traditam nunc uti in primis Ecclesiæ sæculis stabilire necessum est: absque illarum saltem annua congregazione, & suarum Sessionum publicatione hoc tantum Ecclesiæ detrimentum vitare non valeamus neque in disciplinæ diu jam monstruose corruptæ, atque scandalizantium morum reformatione, neque in hodieum timendi Schismatis fluctuatione. An non mirabile, & plusquam mirabile, quod nemini nostrum in notitiam venerit per plurimos annos neque ullam tantoties commendatam Synodus Provincialem congregatam fuisse? ; Quot quantaque futura mala vitari poterunt, si vos, ò Episcopi Sancti, de hoc tam gravi Ecclesiæ periculo alii ab aliis sententiam, consilium, disciplinam per Epistolas quæritis? Prædecessorum vestrorum industriam imitantes vel Concilia Provincialia celebrate, vel literas ad universos Catholicæ Communionis Episcopos circummeate (c), antequam amarissima nobis adveniat dies, in qua pœniteat vos non fecisse. „Ut honore Apostolico non careatis conservate fidem Apostolicam, confirmate testimonio, roborate scripto, munite Synodo... causa Schismatis incidatur cultello quodammodo Sancti Petri, id est véra in Synodo fidei confessione.” (1) ; An corporis infirmitatem, vel jam viribus prostratum infirmum expectavimus, ut medicum adeamus? ; Quomodo parati erimus, ut idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis Schismata, si vosmetipsi unitatis Catholicæ Custodes prius non estis coadunati, & consentientes? ; Si sub modio absconditis lucernam, quomodo lucebit omnibus, qui in domo sunt? ; Nisi vox vestra auribus nostris insonuerit, priusquam eveniat fluctuatio, abque dubio fluctuabimus; in fluctuatione autem alii deficient, alii in præceps periculum ruent, alii vero dispergentur (d).

(c) Olim magnæ quædam Sedes eligebantur ad mutuam stabiiliendam Communionem, cum niversi orbis Episcopi vix inter se communicari poterant: Orientales Episcopi cum Patriarcha Anthiocheno, Egiptii cum Alexandrino, Occidentales cum Romano, hi autem tres inter se communicabant, concordataque cæteris circumferebant.

(1) Ep. S. Columbaní Presb. Angli BB. t. 12. p. 28. 29.

(d) Theophilus Alexandrinus ut Origenistarum Schisma præveniret ad Orientis Episcopos circularem missit Epistolam, cui rescribens S. Hyeronimus gratias agens inquit, „Vox Bea-

„Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur (1), & quamvis unicuique vestrum pro immediata, & commoda solicitudine modica tantum gregis pars commendatur, non tamen in difficilimis, & periculosis temporibus absque totius ovilis cura estis ad unitatem Ecclesiæ invigilandam (e). Si alter alterutrum spectat, neuter vero incipit, omnesque dormiunt, veniet inimicus homo ad agrum bono semine seminatum, & superseminavit zizania in medio tritici: dormierunt in horto pacifice Apostoli; Judas autem non dormiebat: vigilate, Successores Apostolorum, ne forte veniat aliquis missus à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi, & osculo comprehendat, & tradat nos in manus peccatorum. Adhuc finem fraudulentem, & versatilis Galliarum Prothei, omnis sectæ & religionis hominis non vidimus; multiformes suas artes veremur, & quoisque tandem perversuras nescimus: vereor sane voracem lupum, qui postquam plurimas de ovili abstulit oves, tentet etiam gregis arripiere, trucidareque pastorem: nil non aggredi, nil non subvertere intendit ingeniosa, sœvaque Tyranni malitia. Paratos ergo nos esse oportet, & vigilantes, & continuo latrantes: forsitan prædam, quam cogitasset arripiendam, abjicit insidiator lupus, dum pastores viderit clamantes, canesque latrantes.

Principum protectionem, & gratiam supplices rogate: „pacem Reipublicæ ex universalis Ecclesiæ pace pendere“ ipsi norunt. (2) Eorum auxilio Synodos Nationales, aut saltem Provinciales congregate, cæterisque Ecclesiis Concordata circui facite: Si temporum turbulenta series cogere Synodos non permiserit, literas vestris sacrosanctis manibus, etiamsi san-



titudinīs tuæ toto orbe pertonuit, & cunctis Christi Ecclesiis lœtantibus Diaboli venena siluere... Vincentius Presbiter ante biduum quām hanc Epistolam darem de urbe venit, crebroque sermone concelebrat Romam, & totam Italiam tuis post Christum literis liberatam.” Ep. 61. al. 71. & Ep. 87. al. 71.

(1) S. Cyp. Ep. 7. de unitate Ecclesiæ.

(e) Ab ipso Calcedonensi Concilio S. Procli circulata Epistola ad Armenos abominandam Ecclesiarum divisionem fallaciis Theodori Mopsuesteni foventes prælaudata fuit, eamque postquam Dionisius Exiguus, ut ad Occidentales Ecclesias progresseretur latino idiomate virtit, altioribus Procli industriam laudibus commendavit. Lab. act. Conc. Calc. v. & Dion. Exig.

(2) S. Greg. M. lib. 5. Ep. 20. ed. nov.

guine oportuerit rubricatas ad universas Ecclesiás circummeante, quemadmodum Clerus Romanus vacante sede Pontificali teste Cypriano, „cujus literæ per totum mundum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus, & universis fratribus, ut esset forma quædam, in qua omnes Ecclesiæ consentirent.” (1)

¶ Quo altero medio omnes Insulas, quibus Sol justitiæ Christus illuxit, & quæ documenta fidei suscepérunt, ad jus Sancti Petri, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ unitatem conservabimus, si Pontifex Sanctus, Petri Successor Pius vel in vinculis moritur, vel interficitur? ¶ Quid in tan dissitis Americæ & Asiæ regionibus facient Episcopi, si qui Romæ viciniores sunt, tacent, dum loqui deberent? ¶ An non in amaritudine animæ fluctuantes lugebunt Episcoporum Europam decentium negligentiam, & silentium accusantes? Mihi conscius sum illos desiderio magno vestras consolatrices literas desiderare, ut vobiscum in unum consentientes ab omni futuro periculo oves suas deviare possint; & percusso non dispergantur Pastore: „ideo incumbendum est dilectioni vestræ, & bonis Sacerdotibus admittendum, quatenus præeunte doctrina in unitatem fidei omnes, qui dispersi sunt, congregentur, & esse inexpugnabile unum corpus incipiat; quod si separatur in partes, ad omnes patebit lacerationis injurias, & ex sese pestem patietur internam, quando secum compago ipsa confligit?” (2) ¶ An non pestem patiemur internam, si Galliarum impiissimus Imperator dispersos congregans Cardinales, vi, aut dolo, libertatis tamen, devotionis, & pietatis nomine, quemlibet suis placitis faventem Pontificem electum promulgaret? Quid, quisque Episcopus tunc facere judicaverit, scire vellem: ¶ nonne alter ad alterum interrogabit in conflictu? ¶ *Quem dicunt homines esse Successorem Petri?* longinquerum Regionum Episcopi Europæ Episcopos interrogabunt; *ad nos autem sermo venit Cardinalem de Fesch, aut Talleyrand apostatam in sede Petri sedisse: hunc nos non agnoscimus;* ¶ *vos vero quem esse dicitis, ut Communionem vobiscum habeamus.* vel non? Quammaxime tristitia afficio, dum hæc, aliaque plura memini minantia mala: in tam gravi, imminentique periculo tantum silentium, & quod præveniendi mali remedia in mutua Episcoporum consensione non querantur, hæc mei causa doloris, scribendique ratio: non in reprobū sensum, quæso, accipiatis.

(1) S. Cyp. Ep. ad Anton. 55. al 52.

(2) Innocent. Ep. 3. ad Syn. Toletan.

Ecclesiam Dei; Successores Apostolorum, quasi viduam plangite; plangendo tamen, non derelinquatis nos orphanos in afflictione clamantes. Vobis creditum est Regnum Dei, & Ecclesia ejus: Vos gregis Dominici Pastores à Magistro vocati estis: ovina pelle lupus ovile ingredi minatur: de omnibus nobis æterno Pastori rationem reddituri estis: Episcoporum Confratrum vestrorum in longinquis Insulis & Regnis degentium exspectationi satisfacere debetis, ut non multis anxietatibus præpediti per viam non rectam fortasse ambulent: media huic fini consona vobismetipsis suppeditabitis in vestra sollicitudine, in scientia Sanctorum, in Traditione Majorum, & in mutua Confratrum consultatione.

Tibi, Exme. & Emme. D. D. Cardinalis Ludovice de Bourbon, tibi literas meas præsertim mittere, non tamen absque rubore, ausus sum: benigna acceptatione, quæso, suscipe: amabilis tua facies invitavit me, ingenita bonitas provocavit, perlustrata tuarum virtutum congeries attraxit; ideo etiam omnium Hispanorum reverentiam, & amorem meruisti: memoriam infortunati Regis nostri Ferdinandi quotidie honorantes jucundum tibi præstamus obsequium: ; cui alteri potius hanc meam mitterem Epistolam, qui in tanta animorum fluctuatione, & undequaque circumdantibus periculis totius Ecclesiæ unitatem minantibus grave pondus super humeros arripere feliciore valeat eventu? Episcopos Confratres tuos in vita: Confratres meos etiam adhortare Presbiteros, ut præeant ante faciem vestram parare fluctuantes fidelium conscientias: lacrymantem Ecclesiam omnes respiciunt: ardentissimo affecti desiderio, cuncti adjutorium præstabunt: Tu vero incipe: Tui ad exemplar cæteri sequentur: Petri navicula spumosis quantitur undis: velut strenui, ac fortissimi nautæ salvate, & ad felicem pacis, & unitatis portum nos omnes pervenire facite. „Æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum.” (1)

Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo octogentessimo decimo tertio, & Hispani Populi adversus Tyrannum Napoleonem dimicantis sexto, mensis Martii die quinta Gadibus scripsit humilius subditus vester.

Valentinus de Ortigosa.

(1) 1. Machab. cap. 2. v. 50. 51.

Paulo antequam hanc meam typis mandarem epistolam, publice nuntiatum est Pio Septimo novum probationis genus à Napoleone parari. Omnibus notum est Pontificem Pium mira fortitudine olim Codicem Napoleonis libellum repudii permittentem, (f) minas & persecutioes contemnendo rejecisse, & nec vi oppressum consentire voluisse: nunc autem captiose & fraudulenter iterum idem opus aggredi tentat blanditiis & libertatis promisione; & sedem Pontificalem Avenione collocandam offerens constantiam Pontificis flectere vult, ut oleo Sancto liniat uxorem suam, potius concubinam, Imperatoris Francis- ci filiam, filiumque suum adulterinum consecret, & ita prima nunc vivente uxore Josephina, libellum repudii consen- sisse putetur, vel polygamiam auctoritate Apostolica confirma- re videatur. Ecce homo versipellis sub cuius potestate tanto tempore ingemit, & ingemiscet Venerandus Petri Successor Pius. Fertur etiam, quamvis nisi certiora testimonia adsint, assensum præbere neutquam debemus, Pontificem Pium Bul- las confirmationis, vi à Napoleone illata, ad Episcopos Hispaniæ intrusos, & ab intruso Hispaniarum Rege Josepho de Buonaparte præsentatos missise. Iterum dicam, absit à nobis talia credere, sed & iterum inquam, nil non aggredi, nil non subvertere inten- dit ingeniosa Tyranni malitia. Episcopi Saneti, „attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.“ Si forte talia evenire contingerit, cum Siricio Pontifice assidue clama- bo „aut removeantur, quibus indigne ordo collatus est, aut ad nos nomina eorum deferantur, ut sciamus, à quibus nos absti- nere debeamus.“ (1)

(f) Code Civil des Fraçais Edit. D'Herhan an. XII— 1804.
Tit. V. cap. VII. de la dissolution du Mariage. Art. 227. Le Mariage se dissout par le divorce légalement prononcé : par la condamnation devenue définitive de l'un époux à une peine emportant mort civile. Pag. 52.— Tit. VI. cap. VI. des effets du divorce. Art. 295. Les époux qui divorceront pour quelque cause que ce soit, ne pourront plus se reunir.— Art. 297. Dans le cas de divorce par consentement mutuel, aucun des deux époux ne pourra contracter un nouveau mariage, que trois ans après la prononciation du divorce. Pag. 71.

(1) Ep. 10. ad Gallos n. 19. ap. Coustantium pag. 699.

卷之三

